



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

4. De periculis dignitatum & munerum honorificorum. Thema. Judicium durissimum, his, qui præsent, fiet. Sap. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

ipsum Statui religioso repugnet
tanquam statui Mundo mortuorum,
crucifixorum, penitentium, & pecu-
liarium Dei fervorum atque amicorum,
illi soli fervientium & in illo uno glori-
antium. Deinde quod Societati JESU,
peculiari titulo ad Dei gloriam secun-
dam, propagandamque instituta,
mendacis plausus, favores & encomia
aucupari, omnino adversetur: jamtum
a tyrocinio hæc a vanitatibus istis
aversio, & fuga auspicanda est. Non exi-
git quidem sanctus Pater noster
a Tyronibus apicem perfectionis
hujus Regulæ; sed in examine saltem
desiderium desiderii hujus perfectionis
requirit; quo habito, a parvis con-
temptibus, modicisque confusionibus
inchoandum est, atque hæc viâ pede-

rentim ad majores, ac magis ardua
ascendendum. Quod si neglexerimus,
nunquam erimus Mundo mortui, ac
crucifixi; nunquam evademus veri
Penitentes, nec servi aut veri Amici
Christi; adeoque nunquam veris Reli-
giosis annumerabimur. Deinde hoc
neglecto, nunquam genuinæ S. Ignatii
proles, nunquam veri gloriæ divini
zelatores, nunquam veræ animi demis-
sionis possessores, nec sancti Ignatii &
Lainii, nec Moysis, nec aliorum Sancto-
rum humilitate excellentium imitato-
ribus accensebimur; sed potius sub vello
religiôsâ cor superbum, cor tumidum,
cor vanum & ambiciosum, &
si non penitus, saltem semi-
mundanum circum-
feremus.

EXHORTATIO IV. IN REGULAM XI. SUMMARI.

Dilucidat pericula dignitatum & honorificorum munerum.

T H B M A.

Judicium durissimum his qui præsumt fiet. Sap. 6.6.

V E L:

*Optant imitari Creatorem & Dominum IESUM Christum,
ejusque vestibus indui. Reg. II.*



Sapientia & digni-
tate eminentissimus
Cardinalis Joannes
Bona, in libello
quem vitæ Christia-
næ principia indigi-
tat p. 1. §. 35. hanc doctrinam graviter
inculcat. Sapiens est qui suis momentis

ponderat res, & æstimat, prout sunt;
non sicut prædicantur & æstimantur
ab hominibus. Quælibet enim res
duas veluti facies habet; unam veram,
fucatam & apparentem alteram.
Vera est, quæ rationibus divinis &
ideæ in mente Dei existenti conformis
est; falsa est, quæ secundum ideam &

affectus hominum, pravâque amoris proprii præscriptiones efformatur. Sic Dignitas episcopalis (ait dictus author) secundum veram, divinamque ideam onus est vel angelicis humeris formidandum; & servitus, quâ Episcopus, ad divinarum & Apostolicarum Institutionum Præscriptum, animarum salutem consulere tenetur, strictissimam in supremo Judicii die, de illis Deo rationem redditurus. In falsa autem atque apparente hominum ideâ episcopale munus est dignitas, ad quam promotus gradum in Ecclesia Dei conspicuum obtinet, divitias amplas adipiscitur, & ab omnibus honore cumulatur. Unde accidit, ut hoc munus secundum veram ideam respiciens, tanquam onus grave refugiat oblatumque constanter repudiet: Qui verò id ipsum secundum ideam falsam vulgi more intuetur, illud optat, quærit, ambit; & quovis modo, non licito duntaxat, sed etiam non rarè illicito procurat. Idem de aliis gradibus ac dignitatibus, tam Ecclesiasticis, quàm religiosis adstruendum est. atque hinc totius orbis & omnium Ordinum pervertitas ac perturbatio oritur, quod veris rerum ideis & definitionibus plerique careant, hujus mundi tenebris & præstigiis allucti; nec idonei sint ad Dei lumen recipiendum.

Ut igitur & nos his tenebris & erroribus non involvamus, sed sub vitæ religiosa primordia veras honoratorum officiorum ideas in mente formemus & concipiamus; rigidissimum illorum examen, judicium durissimum, & gravissimum supplicium discutiamus,

quibus perspectis, haud dubiè ab iisdem omnino abhorrebimus.

I. Si itaque faciem & ideam veram munerum episcopaliū, Prælatorum & Superiorum religiosorum intueamur; deprehendimus primò grande onus, reddendâ in die Judicii strictissimæ rationis de omnibus subditis. Diserte id adstruit Doctor Gentium in Epist. ad Hebr. c. 13. 27. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.* Superior ergo de cujusque subditi anima rationem dabit, & animam suam pro illa quodammodo oppignorat, ac pro eadem æternæ mortis periculo se exponit.

Ejusmodi onus in se suscipit summus Pontifex pro animabus totius Ecclesiæ: Dicitur enim est illi à Domino: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos.* Agnovit hoc Innocentius XII. Pontifex Maximus, quando peractâ paulò ante mortem ascensi Ignatianâ, Patri nostro Baldefano exercitia tradenti, dixit: *Quantò felicior essem, si binos Fratres meos secutus fuisset (qui fuerunt Societatis nostræ) eum nunc ratio de Ecclesiâ universâ Deo reddenda mihi incumbat.*

Onus idem admittit Episcopus pro Diocesi sua, & ovibus singulis sibi committis. Unde quidam episcopus dum mox ordinandus, jamque Habitu Pontificali amictus, ex Rituali Libro pro more rogaretur: num vellent animam suam obstringere pro ovibus suis? Extemplò vestes exuit, & se cum tali onere honorem nolle edixit, lacrymansque profugit ad montes.

K k 3

Non

I.
Onus
Prælatorū
examen
strictissi-
mum.

bis spiritualibus medelam adferre; totamque domum oratione ac sanctis desideris, velut humeris, sustinere: quæ si neglexerit, durissimum iudicium præstolatur. Jam si quis de propriis defectibus atque excessibus, formidabilem iudicis sententiam iure metuatur; quo pacto de propriis simul & alienis non formidabit? Imuit profectò valde hoc iudicium mellissimus Doctor Bernardus, qui Ep. 42. scribit ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Si tentatio sit cuiuslibet hominis vita super terram, quantis paratis patet periculis vita Pontificis (id est Episcopi, addamus & Generalis, Provincialis, Rectoris, Superioris,) cui omnium necesse est ferre tentationes? Si ego latens in caverna, & quasi sub modio, non quidem latens, sed fumigans, ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficere; sed continuus tentationum, varisque fatigatus impulsibus instar vento agitatæ arundinis huc, illucque circumferor; quid possum supra montem, possum supra candelabrum? Solus mihi servandus; solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus radio, solus oneri, atque periculis; ut aut propria gula, & ventri & oculo scandalizanti, frequenter irasci oporteat: quibus ergo molestiis angitur, quibus lacepsitur injuria, cui etiam etsi propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt, foris pagna, intus timores? Haec tamen Bernardus.*

Deinde officium Gubernatoris animarum est. 1. Sibi commissos purgare à vitiis, arguere, monere, corripere, ac pœnasetiam castigare. 2. Illuminare, in omni virtutum genere instruere: exhortari, prædicare verbum Dei: quod est lucerna pedibus nostris. 3. Sibi creditos perficere, pro iisdem preces ad Deum fundere,

vita perfectæ exemplo eis præluere, Sacramentis pascere. Quæ si animarum Curator negligat: qualem sententiam à Iudice supremo audiet? Non aliam, nisi quàm olim Deus per Zachariam prædixit c. 11. 17. *O pastor! ò idolum derelinquens gregem!* Et illam Ezech. c. 34. *Quod infirmum fuit, non consolidasti; quod egrotum, non sanasti; quod confractum, non alligasti; quod abjectum, non reduxisti; quod perierat, non quesivisti.* Propterea Pastores audite verbum Domini: *Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum.* Scilicet in magno illo & decretorio die, coram sanctis Angelis, & cœlitibus, hoc tonitru, hoc fulmen in eos torquetur: *O Pastor! ò idolum! ego te vocavi, elegi, oviumque mearum rectorem constitui: sed tu gregem meum dereliquisti, quod infirmum fuit, non consolidasti: Sanguinem eius de manu tua requiram: I, maledicte in ignem æternum! ò fulmen terribile! ò quàm felix tunc erit, cui diceret cum Redemptore licebit: Quos dedisti mihi, nò peridi ex eis quemquam! quàm contra infelix, cuius culpâ, anima vel unica perit, iuste propterea Rectorem suum in iudicio accusatura, & in inferno maledictura in æternum!*

III. Onus tertium est pœna præsidum, officio suo malè fungentium gravissima: neque enim solum iudicium: his qui præsumunt durissimum fiet; sed gravissimo quoque supplicio plecentur: testatur id Sapiens, Sap. 6. v. 7. *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Exiguo, id est, pauperi, plebejo, privato, qui peccando minus lædit, faciliùs venia indulgetur; potentes autem, id est, Reges, Principes, Episcopi, & animarum regimini præfati, potenter

III.
Onus
gravissi-
mum sup-
plicium.

potenter tormenta patientur. Horum enim delicta longè sunt graviora, tum quia sublimis eorum status majorem virtutem & perfectionem exigit; tum quia Subditis scandalum & peccati illecebram præbent. Regis ad exemplum totus compenitur orbis. Tum quia peccatis erubescantiam quodammodo adimunt, quæ quasi agger est vitia continens, ne in publicas exundent vias, & omnem honestatem demergant. Tum denique quia aliis injustitiâ suâ damna gravia inferunt, dum quidquid libet, licitum credunt. Quare meritò

potenter tormenta patientur.

Mandavit Deus Moysi, ut Principes tribuum Israël, fornicantes cum filiabus Moab, & earum idola colentes, suspenderentur contra Solem in pasibulo. Num 25. 4. Origines ibidem homil. 20. addit eos suspensos fuisse, eò quòd populum non docuissent, non monuissent, non sollicitè arguissent. Quare concludit: *Nac si cogitarent homines, Principatus non ambirent. Potentes potenter tormenta patientur.*

Rogat Theodoretus Quæst. 43. in Deuteronom. Quamobrem Moyses levis dubitationis ergò à deo exclusus sit à terrâ promissâ; populus verò gravioribus delictis obnoxius in eam sit introductus? Respondetque: docet nos eâ re Dominus, summam se à perfectis virtutem reposcere. Et eum erga ceteros homines graviter delinquentes sit longanimis; Sanctis tamen hanc veniam non concedere. *Exiguo enim datur misericordia. Et Potentes potenter tormenta patientur. Et Cui plus datum est, plus requiratur ab eo. Hoc ex capite*

Pharaonem, Nabuchodonosorem, Antiochum, Mauritium, & alios sexcentos Deus suppliciiis gravissimis castigavit.

Atque his de causis Infulas fugerit S. Gregorius Thaumaturgus. S. Athanasius. S. Basilii. S. Chrysostomus. S. Gregorius Nazianzenus. S. Ephrem. Sanctus Ambrosius. S. Augustinus. S. Fulgentius, aliique quàm plurimi. Qui tamen hoc munere exitère dignissimi, illudque coacti, admittentes, summâ cum laude gesserunt. Unde Leo Imperator Anno Domini 467. L. 21. de Episc. & Cler. ait: *Prohiberi non est dignus Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Inviti enim clarioris episcopalis oneris & honoris pericula perspiciunt, ideòque majori stremitate ac sollicitudine officio suo funguntur.

Hoc periculum æternæ damnationis valde apprehendit Beatus Pius V. ex Ordine Sancti Dominici ad Ecclesie gubernacula assumptus, qui dicit solitus fuit: *Quando factus sum Religiosus, cœpi de salute mea bene sperare: Factus Cardinalis cœpi timere: Creatus Pontifex cœpi penè desperare.*

Hoc periculum salutis tenuit sanctum Augustinum; tum de seipso ita scribit, de div. serm. 5. 43. *Uspue adhibere timebam Episcopatum, ut in quo loci siebam non esse Episcopum, ne illi accederem, caverem. Et hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humilis saltem ne in alto periclitarer.*

Hoc periculum reprobationis agnovit Doctor Angelicus, inter tria enim quæ in votis habebat, tertium erat, ut ad nullos honores aut Prælatum

promoveretur : eaque de causâ Archi-Episcopatum Neapolitanum sibi à Clemente IV. oblatum recusavit. Et in morte sibi gratulatus est, Deoque gratias egit, quod trium votorum suorum compositum reddidisset.

Hoc periculum interitus scivit Gofredus Religiosus Cisterciensis, cui cum Dignitas Episcopalis offerretur, renuit. S. Bernardus eum instanter, ut admitteret, rogavit ; sed abnuvit. Eugenius Pontifex literis hortatus est ; sed constanter recusavit. Defunctus autem cuidam Religioso conspicuus dixit : Feliciter res cecidit, quia Episcopatum repudiavi : nam DEUS mihi revelavit : *si fuisset de numero Prælatorum, essem de numero damnatorum.* Simile narrat Thomas Cantipratanus L. 1. Exempl. c. 201. de Canonico Sancti Victoris, qui à morte apparuit amico, dicens : *si de numero Episcoporum fuisset, in damnationis periculum incidissem, & de numero Electorum non essem.*

Periculum denique salvationis in prælacione agnovit Sancta Theresia, quæ in vita sua c. 28. hæc refert de suo Patre Provinciali, honestæ, probæque vitæ viro, piè de sancto, *Quem ut demortuū audivi (ait) mirum in modum turbata sum, quia de salvatione ejus timebam, viginti quippe annis Superiorem egerat, quam ego tem certe valde timeo : Mibi enim perquam periculosum videtur, animarum regimen habere. Itaque magno cum pavore me intra quoddam Oratorium abdidit, totisque vitæ meæ bona opera in illum transfusi, ut Anima in flammis Purgatorii, si fortè egeret, juvaretur : Et mox vidi illum in calum esse ferri, elapsis vix à morte*

binis hebdomadibus. Comperi verò postmodum illum cum maxima Circumstantium edificatione diem suum obiisse ; admirantium, Virum hunc tanto cum dolore, poenitudine, humilitate & lacrymis ex hac vita migrare.

Quocirca, Charissimi, si fortasè de Prælatorum muniis honorificis in vel extra Societatem, grandem quandam æstimationem in cerebro vestro effinxistis : Si muneris Provincialis, aut Rectoris splendor oculos fortasè vestros perstringit, ne respiciatis hanc faciem ; sed alteram, onera gravia præferentem ; onus scilicet reddendæ strictæ rationis de omnibus subditis, seu examen rigidissimum : deinde durissimum Judicium & fulmen Judicis in supremo die ; denique gravissimum supplicium, si munere suo non ritè fungantur. Quis nisi amens, & ambitionis fucò, fumòque penitus excæcatus, postquam mundum contempserit, Deoque in humilitate servire elegit, ad aliorum regimen aspiret ? Quis securitatem Subditi cum Prælati periculo, nisi temerarius, commutat ? Quis tot sanctorum, prudentissimorumque Patrum exemplo non sapiat ? Quis rationibus propriis sat gravatus, alienis quòque intricari appetat ? Nec pro se duntaxat, sed & pro aliis judicii extremi aleam subire, & in ponarum sempiternarum pericula sese conjicere audeat ? Quare Subditorum præ Rectoribus securitatem, felicitatemque agnoscite : & officia honorifica non secundum vulgi aspectum & intuitum, sed secundum ideam veram & Dei lumen & judicium respicite : nunquam

Ll nunquam

nunquam eò studia, conatus, ac talenta dirigite, ut suo tempore aliis præesse valeatis; sed (salvâ semper obedientiâ) quantum licet, humiliora semper sectemini, & subesse potius, quàm præesse

eligatis atque optetis. Hâc vî strictissimam de alienis animabus Deo reddendam rationem, judicium durissimum, Præsidibus incumbens, & supplicium gravissimum feliciter evaditis.



EXHORTATIO V. IN REGULAM XI. SUMMARI.

De induendis Christi Domini Insignibus ac vestimentis.
Scilicet contumeliis, falsis testimoniis, injuriis,
& stultitiæ titulo tolerandis

T H E M A.

Induimini Dominum Jesum Christum. Rom. 13. 14.

V E L :

Optant Insignibus & vestibus Christi indui. Reg. II.



Uemadmodum Aulici, Ephebi, alique Cæsarum ac Regum famuli certo vestimentorum colore ac formâ tanquam insignibus resplendent; quibus ab aliorum Principum famulatio distinguantur: ita Rex Regum, ac Cæsar Cæsarum Christus Dominus, ejusque ministri sibi circumferunt Insignia; quibus & nos indui hâc regulâ cupit S. I G N A T I U S.

In veste summi Sacerdotis. & in malis punicis ad oram vestimenti ejus

pendentibus quaterni resolvebant colores, ut Cap. 28. 15. Exodi legitur. Conficiebantur enim ex hyacintho, purpurâ, cocco his tincto, & bysso retortâ; qui colores tropologicè virtutes sacerdotales adumbrabant. Colores iidem mysticè reuolvent in veste Summi Regis ac Sacerdotis nostri JESU Christi; ejusque excellentissimas virtutes indicant. Hyacintho, ejusque colore caruleo seu violaceo representatur profundissima Christi humilitas, demonstrata in perseverentia tot tantisque contumeliis. Purpurâ denotatur Ejus patientia, ostensa